



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 46. Cancellarius Ludovici nomine ab Archiduce Homagium accipit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

quoque & Isabella suum Oratorem, Hieronymum de Vico, qui apud Ludovicum Sfortia solidos octo annos legatione pro Hispanis fungebatur, inde revocabant, facta solemnī declaratione, quod impostorum in Italiæ turbas nullo pacto, nec quavis ex causa sese ingerere velint, quocirca copiis suis inde evocatis cunctas, quas in Calabria tenebant, urbes Friderico restituerunt. Tandem etiam cum Archiduce initum est foedus, vi cuius Arthesiani Comitatus urbes eidem reddebantur, ea tamen lege, ut pro Arthesia nec non Flandriæ & Carolesii Comitatibus Ludovico Regi fidei clientelaris Sacramentum exsolveret. Id etiam ab Archiduce præstitum, tam insolitis tamen caeremoniis, ut eas speciatim referre operæ pretium esse videatur.

§. XLVI.

Cancellarius Ludovici nomine ab Archiduce homagium accipit.

Enimvero solemnī hæc clientelæ professio nec in Regia, nec in Regis manibus, sed non nisi Atrebatī in Episcopali Palatio peracta est, Guidone de Ruspfortio Cancellario Regis personam sustinente. Perampla ibidem parabatur aula, in qua suggestus duobus gradibus sublimis exurgebat, in medio ejus collocabatur

Sæcul. XV.
A. C. 1499.

tur sedes tapete liliis intexto ornata. Die quinta Julii feria sexta mane circa decimam diei horam Archidux eo pervenit, de cujus adventu Cancellarius edoctus e cubili suo processit, capite cooperto, ac purpura indutus, præcedentibus Apparitore clavam gestante, & duobus Caduceatoribus, insequentibus vero nonnullis libellorum supplicum Magistris, aliisque, qui Regi a secretis erant. Post hæc Cancellarium Archidux inclinato capite salutabat, Cancellarius vero non quidem caput detegebat, manu tamen sua parumper pileum submovebat, cui Archidux capite nudus exposuit, se huc venisse, ut Regi clientelare obsequium præstaret pro conditionibus, & Flandriæ, Arthesiæ ac Carolésii Comitatus, a sceptro Gallico dependentibus. Cancellarius sedens homagium acceptat, nullatenus permittebat, ut Archidux in genua procumberet, prout facere paratus erat; post hæc manu sua Archiducis dexteram stringens, pro more quasdam subjunxit interrogationes, quibus Archidux respondens, cuncta se integra fide servaturum pollicitus est, simulque ambo oblato oris offolemnitatem peracta Cancellarius exurgens, detracto pileo officiose Archiducem allocutus est, inquit: „ Galliarum „ Regis personam exui, nunc coram te „ habes

„ habes Guidonem de Rupifortio servum Sæcul. XV.
 „ tuum humillimum. „ A.C. 1499.

§. XLVII.

*Galliarum Regis fœdus a Cæsare
recusatum.*

Ceterum non æque expedita erat Galliarum Regis reconciliatio cum Maximiliano Imperatore; hunc enim Ludovicus Sfortia non modo copiosis pecuniarum subsidiis sibi adjunxerat, sed Cæsaream Majestatem suam firmioribus etiam vinculis sibi obstricturus, eidem quinquaginta aureorum millia dono dedit, Insuper trecenta millia per Commissarium a mensariis exigenda Imperatori submisit, quibus pecuniis in istius ditionibus milites conscriberentur: frustranei tamen erant utriusque conatus; Comes enim Fuxiensis Fluvii Savonis littorata sollicite tuebatur, ut Germani tentato sæpius transitu semper repulsi fuerint, demum vero eorum exercitus, cum ob annonæ penuriam castris suis excedere cogeretur, re infecta dispergebatur; hæ tamen copiæ postea collectæ Helvetiis arma inferebant, qui pagos suos latius protendentes jamjam Basileensem Rempublicam, ac nonnullas Imperii urbes ditionibus suis adjungebant, tantaque animi fortitudine parta tuebantur,
 ut